1204
c

Digitized by Google

F. 1174

Biogr. 1204 c

(Ulefeld)

Paulli

Digitized by Google

MACHINATIONES CORNIFICII ULEFELDII.

Digitized by Google

BIBLIOTHECA
REGIA
MONACENSIS.

Bayerische
Staatsbibliothek
München

Digitized by Google

De

CORNIFICII ULEFELDII

Primarii Daniæ Miniſtri variis machinationibus

Succincta Narratio.

SUmma exſtitere in hoc Viro omnia, quæ hominem aulicum commendant, Illuſtris & Heroicæ

Digitized by Google

familiæ gloria, ſtatura corporis procera & formoſiſſima, vaſtus animus, magna apud omnes auctoritas, & laus civilis prudentiæ maxima. Unde illum Chriſtianus IV. multis jam honoribus auctum in altiſſimum dignitatis faſtigium evehere, & in Regno Daniæ Aulæ Magiſtrum, primum inter proceres conſtituere, ſuorumque omnium conſiliorum participem facere non dubitavit, data ipſi in matrimonium Eleonora, filia majore natu, quam poſt mortem Reginæ ex Chriſtina Nobili fœmina procreavit. Inſignem quoque nominis celebritatem diverſis ad exteros Reges legationibus perhonorificè obitis aſſequutus eſt,
inque

inque eo negotio ipſe unus complures alios antecellere videbatur, ut omnibus numeris abſolutus dici potuiſſet, ſi innata ſibi ambitio, quam habendi libido plerumque comitatur, & nimia ſui vindicta abfuiſſent. Rege adhuc ſuperſtite ita ſe temperavit, ut nihil commiſerit quod jure à quoquam reprehenderetur, omnia rectè atque ordine faciens. Niſi quod paulo ante Regis, jam ſeptuagenarii, obitum, ex quo Chriſtianus V. electus Princeps ad Egranos Bohemiæ fontes iturus, Dreſdæ in Saxonia ſupremum diem expleviſſet, curam monetæ cudendæ, cujus inſcriptio: *Iuſtus Iehovah Iudex*, parum fideliter gereret, octava

parte de majoribus nummis, dimidio de minoribus defraudato. Præterea pecuniam claſſi regiæ deſtinatam ſingulis naucleris pro ſubitu ſubtrahens, immenſas repente accumulavit divitias, quæ Hamburgum & Amſtelodamum in argentarias publicas translatæ ſunt, mercatoribus, quorum operam hîc adhibuit, ob perſonata quæ ſibi adſciverunt nomina, nunquam compertis. Neque enim horum quicquam in vulgus dimanavit. Vix dum autem Rex Hafniæ vita conceſſerat, ubi ſtatim inſurgere; omnium rerum adminiſtrationem ſibi potiſſimùm arrogare, & plurima miſcere cepit. Magnum privati

affectus ſui indicium primò e-
rupit, quum paucis à Regis de-
ceſſu interpoſitis diebus, Con-
cubinam Regiam, cui Wibi-
cha nomen, propero fato, &
præ mœrere, ut ferunt, extin-
ctam, denegatis exequiis, no-
cturno tempore, viliſſimo ve-
hiculo contumeliosè impoſito
funere, extra urbem in paupe-
rum cœmeterio ſepeliri cura-
ret. Fuit hæc Chriſtinæ, cu-
jus ſupra meminimus, à cubicu-
lis, cumque Regi revelaſſet, i-
pſi à Domina ſua venenum pa-
rari, Rex illam, repudiata
Chriſtina, ejus loco amavit,
atque Uldaricum Chriſtianum
Guldenleu, qui ſub Hiſpanis diu
ſtipendia meruit, ſeque poſtea
in Hafnienſi obſidione alterum

patriæ ſuæ Hectorem geſſit, ac filiam, quæ cum Alefelido Nobili Holſato nupta eſt, ex eadem ſuſcepit. Hac de cauſa, incenſum erga eam totius Ulefeldianæ familiæ odium indeſinenter flagravit, ut & in mortuam exerceretur injuria quæ vivæ inferri non poterat. Tum quoque illi certamen adverſus Brochmannum, Seelandiæ Epiſcopum, de Coronæ & Sceptri cuſtodia exortum eſt, quæ Regni inſignia, Epiſcopus pro officii ſui ratione, durante interregno, ſibi committenda eſſe, antiquo jure probavit. Inde ubi in Ordinum concilio, penes quos eligendi arbitrium erat, de novo Rege conſultatum eſt, ipſique ceu Aulæ in Regno

Daniæ

Daniæ Magiſtro propoſitionem facere incumberet, plurimas difficultates movit. Ex Regiis filiis, unicus Fridericus, Archi-Epiſcopus Bremenſis ſupererat, propter ſucceſſionem Oldenburgicæ Stirpis, quæ uſque à Chriſtiano I. per ducentos annos in Dania continuata fuit, ad hanc electionem proximus: cui aliàs Norvagiæ Regnum hæreditate debebatur. Huic ne deferretur imperium niſi vetera Nobilium privilegia redintegrare, & in novas leges jurare, ac promittere vellet, ſe de nulla re, inprimis initio regiminis, ſine Procerum conſenſu decreturum, maximopere anniſus eſt, variis inſtructus argumentis, ſi tales conditiones

fortè detrectaret, illum prorſus recipiendum non eſſe. Qui altiora ſecreta ſunt ſcrutati, Ulefeldium ſpe occulta ſemetipſum hac fortuna gaudere, ac pendentibus ſuffragiis, injectisque impedimentis, rerum potiri poſſe, ſibi tantùm ejusmodi conſilio proſpicere voluiſſe, exiſtimant. Cunctorum tamen ſententiis, qui unanimi voto Archi-Epiſcopum ſibi Regem depoſcebant, præfractè refragari, quicquid etiam moliretur, ipſi non fuit integrum. Itaque Fridericus ejus nominis Tertius, ad ſceptra capeſſenda accerſitus, & præſtito ab univerſis Ordinibus homagio, in ſolio Majorum ſuorum tandem collocatus eſt. Corona-

tio,

tio, octiduum poſt factas Chriſtiano Parenti exequias, Anno M. DC. XLVIII. menſe Novembri, magnifico cum apparatu & pompa, per Seelandiæ Epiſcopum, Hafniæ in templo B. Virginis, circumſtantibus Regni Senatoribus, qui inſignia, coronam, ſceptrum, ac gladium præferebant, ſolenni ritu celebrabatur. Inter alias feſtivitates ac publica ſpectacula, Porta triumfalis, ſub qua, è templo redeunti Regi, in pacis perpetuæ felix fauſtumque augurium, palmarum rami ab obviis exhiberentur, in foro extructa erat. Hanc portam Ulefeldius, cujus tum nutu cuncta gerebantur, nocte proxima demoliri juſſit. Quo fa-

ſto Regiam Conjugem , Sophiam Amaliam, Lunæburgæ Duciſſam, quæ poſtridie ejus diei, ut & illa dicto in templo coronaretur, per eandem viam, ex arce deſcenderat, vehementer irritavit. Atque idem ab illo tempore quum varias indueret formas, non ſine cauſa omnes ejus actiones Regi ſuſpectæ fuerunt. Ipſe Senatorum Princeps rarô in Aula comparere, anniverſariis comitiis ſponte ſe abdicare, rem quamcunque ſimulare ac diſſimulare. Uxor virilis audaciæ fœmina, omnibus ſe ferociter præponere, cum ipſa Regina ſimultates exercere, & nihil penſi habere, ut magnam ſui, ille admirationem, hæc invidi-

vidiam ubique in ſe concitarent. Exacto interim triennio, quid uterque eorum in animo volveret, ac inſidiæ quas Regi ſtruebant, detectæ ſunt. Incredibile dictu, quantas hæc res turbas dederit, quæ deinceps tot annos durarunt, nec ſolùm Ulefeldianæ familiæ, ſed multorum maxima fuit calamitas. Initium hujus tragœdiæ fecit Dina, muliercula ob egregiam formam Hafniæ notiſſima, & à pluribus petita, quam Ulefeldius quoq; in domum ſuam lubens admiſit, ut & paulatim cum ea clam uxore conſueſceret, eademque ſe ex illo gravidam fuiſſe publicè dixerit. Hæc præter ceteros qui tum illam amabant, valde familiariter uteba-

tebatur Georgio Walthero, regii exercitus in Holſatia Colonello, cui fortè enunciat, Regi ab Aulæ Magiſtro perniciem imminere. Is, uti fit, aucupaturus gratiam, protinus quæ intellexerat ad Regem defert, qui hanc rem haut aſpernatus, mulierem ad ſe venire præcipit. Comparuit illa, & dicta confirmat his præſertim circumſtantiis: Se cum Ulefeldio in eodem cubaſſe lecto, in interiore parte ædium, quò ſubinde per poſticum intromiſſa fuerit, atque Uxorem ejus mane quodam intraſſe, poculum ferentem præparato veneno repletum, quod Sperlingius, intimæ apud Ulefeldium admiſſionis Medicus præſcripſiſſet, cum-

que

que marito ſuo de loco & tempore quo id Regi propinarent, multa commutaſſe verba, quæ à ſe obſervata fuere, dum injecto ſtragulo, ne quis eam adeſſe ſentiret, ſe occultaverit. Pollicetur inſuper, ſi ſpatium ſibi concederetur, ſe allaboraturam, ut apertius demonſtrandi criminis gratia, vel præſcriptam Medici formulam, vel ipſum pharmacum, vel clavem repoſitorii ubi conditum eſſet, ſubducere & afferre queat: addiditque ſe jampridem ab Aulæ Magiſtro pro uſuraria habitam, ex ejus compreſſu puerum peperiſſe, baptiſatum à Simone Henningues, illius Confeſſario, & ad D. Petri Eccleſiaſte, ſed ſubito mortuum eſſe.

Digitized by Google

Quum Rex iſta cognoviſſet, tempus exſpectare decrevit, quo ſe res ipſa proderet, atque hoc periculum diu celavit, ſimul tamen animum ad cavendum ſedulò attendit. Donec ex improviſo per totam Urbem diſpaleſceret, Ulefeldio fieri inſidias, iisdem rumoribus ſæpius reſuſcitatis. Mox ille, quaſi timore perculſus, vitæque ſuæ diffidens, domi ſe continere, ſemper cum armis & gladio incedere, diſcurſare, trepidare, usque adeo, ut & Regem obſecratum miſerit, vellet ob periculi magnitudinem cuſtodes nonnullos, præſidii cauſa, ei concedere, quos quidem facillimè impetravit. Credebatur ipſum hoc finxiſſe

magis,

magis, quàm quod id certum eſſet, ne ſcilicet aliquam ſuſpicionem præberet, quoniam, fortè quid ſubolens, illud quod prius de veneno intenderat conſilium ad aliud facinus tranſtuliſſe apparuit. Nam haut multò poſt, ſicarios ſubornatos, & media nocte ante Regis cubiculum in ambulacro fuiſſe, certiſſimo ſigno, quòd nimio canis moloſſi latratu exterriti, clavem antehac amiſſam, in foribus peſſulo interius obſeratis reliquiſſent, primo diluculo palam quoque innotuit. Tanta inde conſternatio orta eſt, ut nemo non veritus ſit, ne qua repentina vis in civitate, exiſteret, ſibique ſtatim unusquisque perſuadebat, iſthæc
non

non aliunde quàm ab Ulefeldio proficiſci, qui Regem omnibus modis perditum iret. Atque hac occaſione, quale nuper de veneno exhibendo habuiſſet propoſitum, diutius nequivit celari, ut ferme nihil aliud vulgò audiretur. Ceterùm quò cuncta magis explorata eſſent, res jam ſatis ſuperque rumoribus agitata, ad Magiſtratum Urbis accuratius inquirenda & judicanda refertur. Dina quæ de hisce nefariis conſiliis ſciret, publica auctoritate fateri juſſa, idem quod antea Regi ſecretò commemoraverat, ordine & iisdem verbis coram judicio repetit. Dies etiam dicitur Ulefeldio, qui procuratorem miſit, Waltherus & Sperlingius citati

tati ſeipſos ſtitere. Simon Henningues Eccleſiaſtes, quem Aulæ Magiſter jamdudum magnis locupletaverat beneficiis, non vocatus, nimia aſſentatione ultro acceſſit, innocentiam Patroni ſui defenſurus, qui propterea, ſecus ac putaverat, tantiſper à ſacro officio removetur. Sic diſceptata in hoc foro cauſſa, & auditis ultrò citròque teſtimoniis, totum negotium, quòd multiplici dubitatione involutum eſſet, ad cognitionem ſupremi Senatus, qui ea tempeſtate ex XXIV. Senatoribus regni, Præſide ipſo Rege conſtabat, remittitur. Præter Dinam autem nemo in vinculis tenebatur. In jus vocantur denuo præfati omnes, quo-

quorum Ulefeldius, verens ne à populo concitato, & præſertim nautis, quibus propter ſubtractam iis malitioſè pecuniam valde inviſus erat, aliquo dedecore aut detrimento in vico afficeretur, ſecuritatis ſuæ cauſa, amplius centum cujuſcunque generis homines adſcivit, quibus ſtipatus, ipſe demum cum reliquis in judicium venit. Nihil hactenus Dina niſi nudis circumſtantiis, effectu non ſubſequuto, probaverat, quumque à reo ante regium tribunal vera ut diceret, exhortaretur, ſive metu, ſive animi mobilitate, ſive ſpe cum adverſario redeundi in gratiam, ſive alia quacunque re impulſa, neque de veneno, neque de concubitu, neque de puero

puero nato aliquid certi affirmans, omnia dicta ſua revocavit. Sed miſeræ fœminæ hæc confeſſio exitioſa fuit, neque dabatur excuſationi locus, quum poſtea pronunciaret, ſibi magicis artibus mentem fuiſſe everſam. Manebat tamen opinio, Aulæ Magiſtrum omni prorſus culpa non vacare. Decrevit ergo Senatus, indicium Dinæ falſum videri, eamque capite plectendam, Waltherum, Sperlingium, & Simonem Henningues, tanquam conſcios, Regno proſcribendos eſſe, de Ulefeldio Rex ipſe ſtatueret. Quum jam illa ad ſupplicii locum, qui eſt in area Regiæ arcis, duceretur, implorata adverſus Aulæ Magi-
ſtrum

ſtrum & Simonem Henningues divina vindicta, ſe innoxiam alieni ſceleris pœnam ſubire, antequam vitam finiret, miſerandum in modum conqueſta eſt. Adhæc Ulefeldius, optimum factu ratus, ne quid dehinc gravius in ſe ſtatueretur, ſi tempeſtivè ſe ſubduceret, ab irrogato Dinæ ſupplicio, cujus caput extra muros palo fuit impoſitum, prima quæ inſtabat nocte, convaſatis rebus, cum Uxore, liberis, & domeſticis ſuis pleriſque, in navem, quæ ad eum deportandum in portu parata erat, ſe recipit, inque Hollandiam demigrat, deque reditu ſuo, ex impoſita ſummo ædium ſuarum cacumini Ciconiæ ſtatua, cuique pro arbitrio conje-
Digitized by Google

conjectandum reliquit. Poſt ejus diſceſſum, quod plerumque accidit, ut plures idem difficulter ſtatuant, alii illum ſiniſtris ſermonibus carpere, & Regni profugum appellare, alii contra excuſare & laudare prudentiam non verebantur. Hinc factum, ut totius actionis proceſſus, Danica & Germanica lingua publicaretur, ſimulque abſenti Senatoria dignitas ſublata, inque ejus locum Joachimus Gersdorfius Aulæ in Regno Daniæ Magiſter ſit declaratus. At ille id ægre ferens, nec in Hollandia ſe ſatis tutum arbitratus, ad Suecos, infeſtiſſimam Danorum nomini gentem, tranſire properat, ubi, ut apud Chriſtinam Reginam præſi-

præſidium inveniret, multumque valeret, magna pecuniæ ſumma Reginæ mutuum data effecit, & Comitis titulum ſibi acquiſivit, aſſignatumque ipſi Barthium, in Pomerania ſitum territorium, hypothecæ loco. Quibus ita conſtitutis, abolendæ infamiæ ergo, Apologiam ſermone ſibi vernaculo Stralcſundii impreſſam, edidit, in qua abunde oſtendit; invidiam obſtitiſſe virtuti ſuæ Regemque falſa ſuſpicione à ſe alienatum, & ſe fictis circumventum eſſe criminibus, pectus ſuum nunquam fuiſſe tam levi ſententia, Dinam ſolam deliquiſſe, quæ ipſi & clientibus ſuis tam iniquè inſultaverit, quumque ad evitandam Regis iram
ſponte

ſponte ſit profectus, culpam ex fuga non eſſe arguendam. Neque hac vice quicquam ulterius tentavit, mox, ubi Chriſtina ſeſe Imperio Sueciæ abdicaſſet, ac bellum in Polonos à Rege ſucceſſore Carolo Guſtavo appararetur, in Pomeraniam habitatum concedens. Poſt verò, Suecorum armis in Daniam quoque translatis, optimam vindictæ occaſionem adeptus, illuc unà cum exercitu abiit, & apud Regem continuò verſatus, magno ubique fuit uſui, tum monſtrandis locis ad penetrandum idoneis, tum ſuppeditandis ad nocendum conſiliis. Quumque Sueci trans glaciem in Fioniæ & Seelandiæ Inſulas pergerent, & Daniæ Re-

gnum longiorem belli moram vix ferret, pacemque omnes perterriti peterent, Rex acerrimi hujus Viri ingenium cognoſcens, ipſum inter Commiſſarios eſſe voluit ad decernendos tractatus. Datum hiſce tractatibus Oppidum Rodſchildia, Regum Danorum ſepulchris, & ab ipſa hac pace famigeratiſſimum, ac inter ceteras propoſitiones poſtulatum atque concluſum eſt: Ne Cornificius Comes ab Ulefeld anteactarum rerum accuſaretur, neve mulctaretur, utque ædes ſuæ cum bonis & fundis in integrum reſtituerentur. Hoc pacto ſibi perſuadens ſe probè ultum quas olim accepiſſet injurias, Hafniam miſit, qui reliquam ſupel-

ſupellectilem ſuam auferrent. Ipſe in exercitu remanens Urbem haut intravit. Non ſex durarunt menſes hæc fœdera, & quam duo potentiſſimi Septentrionis Reges, abjectis armis Fridericiburgi ad colloquium convenientes, fecerunt amicitiam, ſubita in Daniam irruptio brevi diſſolvit. Quam quum Suecorum Rex animo meditaretur, claſſe ad Seelandiam appulſa, tanta celeritate copias ſuas expoſuit, ut prius totam occuparent inſulam quam Hafnienſes id percepere, quos nec opinantes & imparatos erat oppreſſurus. Ubi autem à meta deflexiſſe vibratum hoc telum, & cives præſentia Regis ſui animatos, exuſto ſub-

urbio ſeſe ad defenſionem accingere intellexit, cum majori exercitus parte ad occupandum Croneburgi propugnaculum profectus eſt, poſitisque caſtris Hafniam totum ferè biennium in obſidione tenuit. Interea temporis Ulefeldius in Scania commorabatur, jamque Hafnienſis oppugnatio egregia civium virtute depulſa, jam Fionia recuperata, & Rex Sueciæ maligna febre, ſi Medicis credendum, extinctus erat, tum ille cum aliis, & inprimis Malmogiæ civitatis uno itemque altero Senatore clam dare operam cepit, ut Scaniæ provincia in poteſtatem Danorum rediret. Id quum minus diligenter eſſet celatum, de reliquis

quis complicibus ſumto ſupplicio, ipſe dicto loco in cuſtodiam traditus eſt, in qua quamdiu fuit, hemiplexiæ morbum, & vitiatam loquelam, raro patientiæ exemplo ſimulaſſe dicitur. Pace poſtliminio Regnis Arctois reddita, & penitus confirmata, per ſolertiam famuli ſui, qui ad perturbandos cuſtodes, è vicino ſtabulo equos calcitrones abruptis vinculis emiſerat, fuga ſalutem quæſivit, ſumtoque Sacerdotis habitu ſinum Codannm cymba trajecit, & cum uxore ſua Hafniam excurrit. Sed nequicquam opportuna hæc res cecidit. Quippe ſub idem tempus Daniæ Ordines, poſt ſervatam Urbem, de Regni hæreditate,

ob ſummam virtutem Regi & ejus familiæ utrique ſexui in ſeros nepotes conferenda, inter ſe tranſigebant. Et quia negotium illud quamdiu non eadem omnibus ſententia eſſet, incertam adhuc volvebat ſortem, periculum erat, ſi in Urbe maneret Ulefeldius, cui non pauci tacitè favebant, ne averſa iterum voluntate præoccupandi populi occaſionem captans, nova diſſidiorum ſemina ſpargeret. Hac conſideratione, navis, qua unà cum uxore Bornholmiam deveheretur, adornata eſt, additis militibus qui hosce Conjuges captivos ducerent. Jam in eo fuit, intercedente apud Regem Sueciæ Chriſtianiſſimi Regis

Lega-

Legato, ſi unicum tantùm octiduum diutius in cuſtodia ſe continuiſſet, ipſum libertati reſtitutum iri. Quin literæ, quarum beneficio dimittendus eſſet, à Regina matre Hedviga Eleonora filii tutrice, ac Proceribus regni ſubſcriptæ, circumferebantur, eodem quo evaſerat momento, & hinc paulò ſerius allatæ. Adeò nihil ipſi profuit toties velum vertere, amiſſis quoque ob fugam quæ in Suecia reliquiſſet bona. Omni demum ſalutis ſpe præciſa, parum tamen abfuit, quin iterum ex captivitate Bornholmienſi elaberetur, niſi nauclerum nimia pollicendo accuſatorem conciviſſet. Quare Fuchſio Inſulæ Præfecto reſtitutus &

in carcerem profundiorem, humi excavatum, ſqualidum, tenebris & fœtore terribilem, detruſus eſt, ubi multa paſſus, neminem præter Uxorem ſuam circum ſe habuit. Rebus in Dania ex voto compoſitis, & populi univerſi poteſtate in ſolum Regem translata, Comes Rantzovius, Campi Magiſter Schackius, Chriſtophorus Cabelius, & alii Regii Miniſtri, cupientes illum reconciliare, fidem ſuam pro eo apud S. R. Majeſtatem interpoſuerunt. Horum precibus vinculis exemtus, Hafniam revertitur, & deprecatoriis literis ac jurejurando conteſtatur, ſe priorē malevolentiam ſalubrioribus conſiliis, & tenaci erga
Regem

Regem fide emendaturum. Quibus peractis, in horto Regio publicum ipſi apponebatur prandium, quò omnium ſubſelliorum homines catervatim confluxerunt, quemque olim ætate integra ſummis honoribus maximè florentē venerati erant, nunc variis caſibus collabefactum ſenem tantò avidius ſuſpexere. Totus ex captivo liber & ſuus factus, idem beatus eſſe potuit, ſi affectibus ſuis tandem aliquando modum impoſuiſſet. Sed iis nimium quantum indulgens, mutatum nuper Regni ſtatum nunquam approbavit, quem ne coràm aſpiceret, rogata brevi profectionis venia, Amſtelodamum quaſi ad diſponenda rei ſuæ familia-

ris negotia, ſe contulit, ubi tamen aliquot menſes cum Uxore & liberis in diverſorio ſubſiſtens, potius in excubiis fuit. Quamprimum certior factus erat, Fuchſium, in quem propter carceris cuſtodiam implacabile conceperat odium, Brugis Flandrorum degere, filium natu maximum Chriſtianum eò amandavit, qui fratrem & famulos quosdam comites ſibi adjungit, quorum tutela fretus, adverſarium ſuum in publica via, curru cum Conjuge vectum, pugione pectori infixo, perfidiosè interfecit, non vituperandus tantopere, ſi eum ſolitario certamine laceſſiviſſet. Purgat ſe ilico Ulefeldius parens, datis ad Regem literis,

qui-

quibus aſſeverat, filium ſuum ſe inſcio hoc facinus commiſiſſe, ſeque illius neque auctorem, neque participem eſſe. Filius abſens à Vidua internecionis accuſatur. Vix dum fama de Fuchſii cæde percrebuerat, & ecce alius de nova Ulefeldii, velut fato ad perdendum deſtinati, adverſus Regem Regnumque machinatione, Aulam obſtupefecit nuncius, qui quidem pro gravitate rei, tamdiu ſuppreſſus fuit, donec in publicis Comitiis, totius Collegii Status ſententia, quam omnes & ſinguli Aſſeſſores, nemine excepto, manu ſua ſignavere, læſæ Majeſtatis & proditionis Patriæ, tali ſupplicio condemnaretur, ut amputata dex-

tra, & capite truncato, corpus in quatuor partes dividatur, ipſe, uxor, liberi, & hinc deſcendens familia infames haberi, Daniæ ac Norvagiæ Regnis perpetuum exeſſe debeant, ædes quas incoluit, funditus diruantur, & omnibus bonis in regium fiſcum ademtis, memoria ejus omnino extinguatur. Nec quisquam inventus eſt, qui hæc delicta non deteſtaretur, qui non graviſſimis quæ excogitari queant pœnis digniſſima clamaret. Imò & nomen illius, antea omnibus tam notum gratumque quam ſuum eſt cuique, poſtremò tam inviſum exſtitit, ut ſeparato cognomine, Cornificius, per contumeliam, appellaretur. At

veram

Digitized by Google

veram accuſationis cauſam, irrito labore multi hactenus ſciſcitati ſunt. Vulgò fertur, illum adeò impatienter tuliſſe, quod Regiminis reformatio Nobilium Danorum privilegiis, quibus antehac populum urbanum tantùm non ſubjugaverant, tam multum detraheret, ut extrema omnia tentanda, & violandam potius clementiam Regiam, quàm nimis abſolutã dominationem concedendam eſſe, putaverit, ſemper in libero magiſtratu verſari conſuetus, eoque animo, cum Electore Brandenburgico per internuncios egiſſe, de occupanda per vim Dania, deque ratione, qua efflagitantibus maximè Nobilibus, ad Coronam

perveni repoſſet: verùm Electorem generoſo pectore, noxium ac periculoſum hoc inceptum Regi clanculum communicaſſe. Atque illud non temere divulgandum fuiſſe ajunt, tam ob conjuratores, ſi qui afforent, perſequendos, quàm ob auctorem ipſum comprehendendum. Ingens utique denominatum eſt præmium, ſi quis illum indicaſſet, vivumque vel mortuum tradidiſſet, ſcriptumque ea de cauſa ad exteros Reges ac Reſpublicas, & miſſi in varias regiones exploratores, qui Uxorem ejus in Anglia offendentes, navi impoſitam ſecum abduxerunt, poſterius examinatam, & ad perpetuos carceres relegatam, in quibus

adhuc-

adhucdum hoc ipſo die in Hafnienſi arce aſſervatur. Non tamen defuere, qui hanc culpæ occultationem, & procedendi modum perſtringerent, ſtatuentes, maluiſſe Judices, illum *inaudita* cauſſa ex præſumtione tanquam de manifeſto crimine plecti, quàm quod eundem perpetuò timerent, cui propriũ ulciſci ſemper, oblivifci nunquam. Nemine porrò qui ad ſocietatem proditionis pertineret invento, & incaſſum quæſito Ulefeldio, juxta latam ſententiam bonis publicatis, in Effigie, ut vocant, exequebatur ſupplicium: inſignia ejus gentilitia in tabula depicta, à carnifice conſputata, pedibus calcata, diſciſſa, & ex arce in

foſſam

foſſam præcipitata ſunt, dextra & caput ex ſuperiori Curiæ cœnaculo, partes trunci in vallo ſuſpenſæ: atque ut tam memorabilis res eò teſtatior eſſet, deſtructarum ædium loco, lapidea columna erecta eſt. Nec reticeri debent, quæ de Sperlingio, ante XII. circiter annos ob Dinæ accuſationem proſcripto, hic intervenerunt. Is ergo Hamburgi refugium, & Medica praxi victum nactus, cum Ulefeldio literarum commercia diligenter exercuit. Sed quædam ex iis, quas inuſitatis characteribus exarare ſolitus erat, à Danis interceptæ ſunt. Unde nata ſuſpicio, illum pleraque omnia arcana noſſe, & deliberatum, quibus artibus
com-

commodiſſimè caperetur. Demandatur hæc provincia Haguedornio, homini militari, qui rem iſtam lepidè effectam dedit, fingens, ſe veniſſe accerſitum Sperlingium ad viſitandum ægrum in ſuburbio decumbentem, porrectoq; nummo quo illiceretur, cum eo currum conſcendens, recta via ad propinquum Danicæ ditionis oppidum pergit, ligatumque, indignante ac fremente Hamburgenſi Senatu, Hafniam transfert. Ibidem Regi in Collegio Status ſiſtitur. Coram judicio interrogatus, deprecata prius publicè culpa, ſe clementiæ Regiæ confiſum, quandoquidem Patronum ſuum mortalitatem jam explevifſe

viſſe

viſſe crederetur, ſponte ſua confiteri omnia, nec ullo falſimonio uti velle promiſit. Et hac ratione, explicata ſcriptura ſua, aliisque prolatis in medium documentis, ac nihil de quo ſibi conſtaret celato, quum aliàs capitis periculum non effugiſſet, reliquam vitam ſuam, ne omni pœna ſolutus eſſet, in vinculis tranſigendam conſervavit. Ceterùm ipſe Ulefeldius, nusquam gentium ob potentiam Regis ſecurus, ſperans in Helvetia omnium facillimè ſe poſſe celari, in Academia Baſileenſi cum tribus filiis, filiaque una, tecto nomine, ſe Ephorum Nobilium Batavorum dicens, diu latuit, usque dum, rixa ibidem inter

Capi-

Capitaneum Tigurinum & filium excitata, quales eſſent cognoſcerentur. Hac neceſſitate coactus Senior Ulefeldius, neque loco neque mortalium cuiquam ſatis credens, etſi graviſſimo pectoris morbo laboraret, nihilominus iter arripuit, ac Rheno deſcenſurus, ſine ullo ſuorum comitatu, navem pro ſe ſolo conductam, ingreſſus eſt, ubi confeſtim, prope Neoburgum oppidum, paulò antè fluvialis aquæ hauſtu recreatus, doloribus ſuis remedium, & ærumnarum requiem, mortem invenit. Anno Chriſti M. DC. LXIV. menſe Februario. Defuncti corpus per remiges, qui ex auro gemmisque

miſque inter exuvias ac veſtimenta repertis, non vulgarem hominem fuiſſe conjiciebant, è navi in proximum cœnobium aſportatum eſt. Quod deinde filii, non diſſimulatis amplius nominibus, ſeque, ut theſaurum recuperarent, legitimos Ulefeldii hæredes profeſſi, Baſilea repetitum venientes, ne à quoquam inveſtigaretur, in campo ſub arbore infoderunt. Hic fuit hujus tanti tamque præclari noſtro ſeculo Viri exitus, qui verò ſuo, ſed infeliciſſimo exemplo nos docuit, quàm gravi lapſu res humanæ ad ſummum perductæ, propria noſtra culpa plerumque decidant, ut & hîc

Digitized by Google

hîc locum habeat, quod in vita Pomponii Attici annotatum legimus. SUOS CUIQUE MORES CONCILIARE FORTUNAM.

FINIS.

Digitized by Google

Pag. 7. lin. 6. *leg.* mœrore. p. 8. l. 2. *leg.* Alefeldio. p. 12. l. 12. *leg.* rarò. p. 31. lin. 3. *pro* & ipſum libertati reſtitutum iri. *leg.* ut libertati reſtitueretur. pag. 39. lin. 17. *pro* exequebatur *leg.* edebatur.

Google

Digitized by Google

Digitized by Google